

Equites ac Procuratores, Aloysius Georgius, qui hoc anno
 eamdem dignitatem est adeptus, Antonio a Ponte architecto
 opus confectum: sexdecim pedes a soli superficie depressa
 fundamenta; in iis utrimque tigna decem pedum longitudi-
 ne ad sex millia humo infixa; ingentia tabulata palmi cra-
 stitudine superposita; quæ, lapidibus in Istriæ montibus exci-
 sis eo numero, qui credi vix possit, superinjectis, ad eam
 molem sustinendam inconcussa atque immota prorsus extite-
 re. Una tantum fornix inducta, tribus viis binisque taber-
 narum ordinibus distincta, quarum amplior medium, angu-
 stiores aliæ latera obtinuere.

M. D. LXXXII.

ROmæ summo studio de sacro principatu inter Purpuratos 1592
 concertabatur; atque eo acriori nixu, quod nemo inter
 competitores extaret, qui vel ætate, vel prudentia, vel usu
 rerum, vel Principum suffragatione reliquis anteiret. Verum
 in quem potissimum Philippus inclinaret, cuncti sedulo spe-
 ctabant, quod ejus in Pontifice cooptando auctoritati Galliæ
 dissensionibus haud parum pondus accessisset, Cardinalium
 præsertim trepidis atque ambiguis animis, ne, si foederatis
 adversarentur, in religionis despectæ notam incurrerent.
 Quapropter quinis ex septem, quorum jam duo, exiguo
 temporis spatio pontificatu gesto, excesserant, nuncupatis,
 Paleotto, Novocomensi, Severinate, Columna, Madrucio,
 reliquos Hispani excludebant; utque compotes voti fierent,
 qua prece, qua pollicitis, minis aliquando intermixtis, ute-
 bantur. Ad absentium quoque gratiam sibi conciliandam,
 Sueschanus Regis legatus per literas Franciscum Jojeusam, Gal-
 lum Cardinalem, qui, turbata Gallia, Savonam in Liguribus
 se receperat, Romam evocavit.

Severinatem initio evehere admittuntur, vel quod magno animi
 ardore Gallicum negotium amplexurus videretur; vel quod
 vivido animi impetu, egregiaque virtutis opinione ceteris ad
 amplissimam dignitatem consequendam idoneum magis arbit-
 trarentur; vel demum quod, Ferdinando Magno Hetruriæ Du-
 ce, ac Montalto Cardinali in eum consentientibus, facile id se